

vo irrogata, et non ante incursa; licet enim manente, et stante peccato, juste omnis gratia denegetur peccatori in pœnam talis peccati, tamen quod peccatum ipsum mereatur, quod etiam post sanctificationem, et post gratiam quæ extinguit peccatum, et reatum, in pœnam ejus gratia congrua denegetur, hoc est impossibile, quia remisso peccato omnis ratio demeriti extinguitur, si quidem omnis ratio indignitatis tollitur: homo enim manet simpliciter dignus, et Deo charus perinde ac si peccatum non fuisset: sublata autem indignitate tollitur ratio, et relatio demeriti: ergo implicat quod illa denegatio gratiæ sit in pœnam illius peccati remissi, quia pœna intrinsece dicit relationem ad demeritum, et culpam. Non ergo peccatum semel remissum est causa puniendi, et denegandi gratiam per modum pœnæ et multo minus reprobandi punitive: dicere autem quod Deus habet voluntatem reprobandi propter peccatum originale, et tamen de facto remittendi illud, est ponere contradictionem manifestam, quia quando executioni datur illa reprobatio, vel illud peccatum originale habet connexionem, et conducentiam ad illam reprobationem, vel non. Si non habet: ergo non propter illud reprobatur executive. Si habet: ergo non potest supponi remissum tunc, quando fit executio, quia peccatum remissum nihil damnationis, et demeriti habere potest, cum sit extinctum.

XXXVII. Quod si dicatur, non operari peccatum originale remissum ad reprobationem ut punientem in executione, sed ipsum peccatum esse causam reprobandi reprobatione negativa, et ordine intentionis quoad denegationem electionis ad gloriam, licet postea in tempore remittatur peccatum, et ita tunc non

operatur, nec movet ad intentionem excludendi peccatum ut remissum: sic enim movere non potest ad excludendum, sed peccatum secundum se, contra est, quia si peccatum originale est motivum excludendi a gloria, et non eligendi: ergo jam talis exclusio, et non electio est punitiva, et per modum justitiæ vindicantis illata, siquidem est damnum illatum propter culpam, seu peccatum, et ob illius demeritum, et indignitatem: ergo nihil illi deest ut sit punitio: ergo si postea Deus remittit tale peccatum in tempore, quando advenit in executione illa exclusio, jam non subsistit causa punitionis, propter quam facta est ab æterno; et sic illa causa quæ movit Deum ut non eligeret, sed excluderet per modum intentionis, non operatur aliquid ad exclusionem in exercitio. Quomodo ergo potest concipi quod Deus velit, et intendat excludere aliquem perpetuo a gloria propter peccatum, et demeritum remittendum, id est, propter peccatum quod in ipsa executione exclusionis jam non est, nec operari potest ad talem punitionem? Inconveniens autem est, quod motivum quo Deus movetur ad excludendum aliquem æternaliter a gloria, non perseveret, nec conducat ad ipsam executionem punitionis, sicut e converso absurdum esset moveri Deum ad eligendum ad gloriam propter merita, quæ in ipsa executione dandi gloriam extincta sunt, et carent vi. Nos enim qui ponimus Deum in illa simplici denegatione exclusiva a regno moveri ob suæ justitiæ ostensionem, affirmamus eandem causam manere quando in executione quis damnatur: ibi enim executive ostenditur Dei justitia, et fit vindicta de peccato.

XXXVIII. Ex dictis etiam constat qualiter accipienda sit illa distinctio p. Suarez de reprobatione nega-

tiva, et positiva. Nam si negativa reprobatio accipiatur pro nuda, et mera negatione nullam importante efficaciam aut influxum in effectus reprobationis, et in permissionem peccati, illa absolute dicitur reprobatio, quia nondum efficaciter intelliguntur homines illi rejecti ab ea gloria, ad quam alii sunt electi; et sic solum intelligitur voluntas divina se habere in suspenso, et quasi indeterminate erga istos: si enim nondum sunt efficaciter rejecti, neque efficaciter sunt discreti ab electis: ergo adhuc considerantur ut capaces ad electionem: possunt enim eligi, quamdiu efficaciter, et determinate non sunt rejecti. Talis ergo negativa reprobatio inefficax, nondum est reprobatio, sed est continuatio status eligibilitatis ad gloriam, licet nondum de facto sint electi. Qui tamen status repugnat post factam electionem honorum a massa perditionis, quia illa electio tangit omnes quotquot salvandi sunt: semel enim elegit Deus omnes quos eligit: facta ergo electione nulli manent sub dubio, et suspensione ut eligi possint: manent ergo efficaciter exclusi quicumque non ibi electi; et sic illa negatio non potest non esse efficax expulsio. Quod et ipse Suarez videtur agnoscere, dum ex hac negativa exclusionem ponit dimanare aliquam permissionem peccati, seu negationem auxilii congrui, ut docet libro quinto de reprobatione, c. VII, num. XIII. Sic tamen ponendo negativam reprobationem, idem argumentum tenetur solvere quod nos, videlicet quomodo ante demerita prævisa Deus excludat unum præ alio; si enim efficaciter excludit, quid interest quod negative, aut positive id explicetur? Igitur negativam hanc exclusionem sumendo non pure suspensive, sed efficaciter, et determinate quosdam rejiciendo præ aliis, dicimus talem

negativam reprobationem esse positivam voluntatem determinatam nolendi istos eligere, seu excludendi illos a gloria, sicut habuit Deus positivam voluntatem non dandi esse creaturis mere possibilibus. Et hæc voluntas pertinuit ad positivam providentiam reprobativam, quæ specialis providentia est; non per modum punitionis in executione, quia non supponit tamquam motivum culpam præcedentem, ut patet in Angelis, et in hominibus quibus peccatum originale est remissum, sed per modum aversionis, et negationis beneficii indebiti, seu per modum non apponendi cor ad eligendum istos, in quo etiam respicit Deus finem ostensionis suæ justitiæ, ut docet S. Thomas hic articulo VI ad III, quæ postea per modum punitionis exercenda est. Quare positiva, et negativa reprobatio non debent distingui per puram negationem, seu suspensionem ex parte Dei, et per efficacem voluntatem rejiciendi, sed penes efficacem voluntatem non eligendi aliquos ad finem quæ est negativa reprobatio, quia respicit pro objecto negationem finis, et penes efficacem voluntatem inferendi pœnam et permittendi culpam in executione, et hæc est positiva, quæ habet pro objecto positionem mediorum, et executionem damnationis.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

XXXIX. Primo, arguitur argumento inducto ab auctoritate, cujus tota vis ad hoc reducitur, quia patres, Concilia assignant discrimen inter prædestinationem, et reprobationem quod illius non datur causa ex parte nostri, neque in se, neque quoad primum ejus effectum, sed totum est ex gratia Dei, hujus autem assignatur causa ex parte nostri sive se-

cundum se, sive quoad primum ejus effectum: nec est credibile non agnovisse patres reprobationem, nisi tantum executivam, et punitivam in re, non autem ut providentia est in mente reprobantis, et ut controponitur electioni ad gloriam, cum illam, et electioni, et prædestinationi controponant: prædestinatio autem ad providentiam pertinet, et electio ad gloriam ad intentionem erga finem. In illa ergo causam assignant ex parte nostri. Major hujus discursus notissima est: nam in primis S. Augustinus, ut supra vidimus perpetuo assignat causam reprobationis ex parte eorum qui damnantur, originale peccatum: et ita liberationem prædestinationis tribuit gratiæ et liberalitati divinæ, damnationem et rejectionem justitiæ, quia supponit causam, et demeritum. Unde dicit epistola cv: « Quærimus causam prædestinationis et invenire non possumus, quærimus meritum derelictionis et invenimus. » Idem docet S. Prosper, ut patet ad objectiones Vincentianas objectionem secundam: « Quod multi pereunt, pereuntis est de meritum, quod multis salvantur salvantis est donum, » et ad duodecimam objectionem: « Quia præsciti sunt casuri, non sunt prædestinati, » et idem habet ad excerpta Genuensium dubio octavo ad capitula Gallorum, c. iii, et c. viii S. Fulgentius lib. i ad Monimum, c. xxiii: « Quos præscivit Deus hanc vitam in peccato terminatos, prædestinavit supplicio interminabili puniendos, ubi loquitur de reprobatione non solum ut executiva, sed in ratione providentiæ, quam prædestinationem vocat, id est, decretum providentiæ. Quod idem affirmat auctor hypognosticon apud S. Augustinum lib. vi. Et D. Thomas idem docet super epistolam ad Romanos, lect. ii in fine, quod: « Præscientia peccatorum est aliquid causa reprobationis. » Et

q. vi de verit. art. ii ad ix, quod: « Peccatum originale est causa reprobationis secundum Augustinum. » Et de denegatione auxilii ad credendum, quæ est primus effectus reprobationis dicit dari causam in nobis peccatum originale 2-2, q. ii, art. v ad 1, et de infidelitate negativa quod habet rationem pænæ propter peccatum originale, eadem secunda secundæ, q. x, art. i, ergo sentit primos effectus reprobationis habere causam in nobis, idem autem est reprobationem habere causam, et primum effectum reprobationis habere causam in nobis, quia inde inchoatur tota reprobatio. Denique Concilium Valentinum sub Benedicto III, et Lothario imperatore in capite tertio sic ponit differentiam inter prædestinationem bonorum, et impiorum: « Quod in electione honorum, misericordia Dei præcedit omne meritum bonum, in damnatione autem malorum, meritum malum præcedit iudicium. » Sentit ergo quod reprobatio in eo in quo contraponitur prædestinationi, supponit causam ex parte nostri; et sic non solum ut in executione punitiva est, sed ut providentia, et ut denegatio beneficii indebiti habet causam.

XL. Confirmatur hoc argumentum ex aliquibus testimoniis Scripturæ, quæ significant Deum nullo modo velle mortem, neque damnationem hominum, sed ex se omnibus proponere vitam æternam, et rursum nullum excludere aut rejicere a gloria nisi propter peccata: *Vult enim omnes homines salvos fieri* i ad Timoth. ii: *Non vult aliquem perire, sed omnes ad penitentiam reverti* ii Petr. iii: *Non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur, et vivat* Ezech. xviii. Si autem Deus ante prævisa demerita vult efficaciter aliquos non eligere, sed rejicere a regno cœlesti, quomodo stat prior

voluntas, quod ex se vult illos salvare, si ex se, et ante prævisa demerita vult efficaciter non salvare? Adde quod non effugitur iniquitas, et acceptio personarum si Deus ante omnia prævisa demerita aliquem rejicit a regno, quia ut dicit Augustinus epist. cvi: « Si hæc massa generis humani ita esset media, ut quemadmodum nihil boni, ita nec mali aliquid mereretur, non frustra videretur iniquitas, ut ex ea fierent vasa in contumeliam; » sed pro illo statu, et instanti, quo Deus intelligitur reprobare, seu non eligere negando gloriam ut beneficium indebitum, nulla videntur demerita, nec aliquid mali: ergo pro tunc facere vasa contumeliæ, seu rejectionis a regno, iniquitas videtur.

Respondetur has auctoritates, et similes loqui non de reprobatione secundum se, et ex natura sua, sed prout de facto accidit in hominibus. Nam ex se non postulare ista demerita ostensum est in prima conclusione etiam ex mente Augustini exemplo reprobationis Angelorum, et permissionis peccati Adam in statu innocentiae, quæ loca Augustini ibi adduximus. Loquendo autem de reprobatione, ut de facto accidit in nobis, in quibus præsuppositum est peccatum originale de facto ante ordinem reprobationis, respondeamus juxta dicta, triplici modo exponendas esse prædictas auctoritates.

Primo, quod loquuntur de reprobatione inadæquate sumpta pro actu punitivo sub ratione punitionis, quæ explicatio debet applicari illis auctoritatibus, quæ utuntur verbo punitionis, damnationis, supplicii, ut auctoritates ex libro sexto hypognosticon, ex S. Fulgentio, et aliæ ex Prospero, imo et Concilium Valentinum sic loquitur de damnatione malorum. Et tunc contraponunt hi patres reprobationem

ipsi prædestinationi quantum ad hoc quod prædestinatio etiam in exercendo electionem ordine executionis inchoatur a gratia, et dono Dei, non ab aliquo præsupposito ex parte nostra, reprobatio autem in exercendo punitionem, et damnationem aliquid præsupponit ex parte nostra præscitum, et non causatum a Deo, scilicet peccatum.

XLI. Secundo, explicantur istæ auctoritates de reprobatione, etiam ut providentia est, et tunc intelliguntur quod reprobatio supponit ex parte nostra causam, et demeritum quoad sufficientiam, scilicet peccatum originale propter quod sufficienter posset Deus, si vellet, omnes punire, quoad applicationem autem, non semper reprobatio utitur tali causa, sed in his quibus tale peccatum remissum non est. Unde neque loquuntur istæ auctoritates in tanta universalitate, et distributione quod comprehendant omnes omnino reprobos, sed loquuntur indefinite, et possunt intelligi sub distinctione posita, quod pro omnibus supponit reprobatio nostra causam, et demeritum sufficiens ex parte nostra, scilicet originale peccatum, de facto tamen non pro omnibus usus est Deus illa, sed pro his quibus remissum non est: quibus enim est remissum jam ipsi misericorditer fuerunt erepti a massa perditionis, sed sua voluntate iterum in illam se devolverunt. Et hæc solutio applicari potest illis locis quæ non utuntur nomine punitionis, vel damnationis, nec sub distributiva universalitate loquuntur, seu indefinite.

XLII. Tertia expositio est, quod quando loquuntur istæ auctoritates de demeritis aut præscientia demeritorum propter quæ aliqui reprobantur, loquuntur de demeritis, vel præscientia consequenti, non antecedenti ad ipsam primam denega-

tionem electionis ad gloriam, vel donationis gratiæ, ita quod Deus non respicit demerita ut motiva antecedentia ad avertendum cor suum ab istis quos reprobatur, sed potius ex eo quod avertit cor ab eis, consequitur et permissio peccati, et præscientia demeriti juxta illud Psal. XXIX: *Avertisti faciem tuam a me, et factus sum conturbatus*, non tamen conturbatio præcessit aversionem cordis, et faciei, imo licet ipsum peccatum originale ut contractum, et ut sufficiens causa reprobationis antecesserit reprobationem, tamen peccatum originale, ut non remittendum, vel derelictio in illo ex aversione illa Dei reprobativa consecutum est. Non est autem peccatum originale causa punitionis æternæ solum ut permissum, sed ut non remissum, et sub hac formalitate consequitur, non antecedit reprobationem. Sed in hoc, inquit, parificantur prædestinatio, et reprobatio, quia etiam prædestinatio est ex meritis consequentibus illam electionem, non antecedentibus. Patres autem, et præsertim Concilium Valentinum ponunt differentiam inter prædestinationem, et reprobationem, quod illa nullum supponit meritum, hæc vero supponit: ergo loquuntur de meritis antecedentibus, non subsequentibus. Fateor parificari in hoc, quod merita in uno, et permissio demeritorum in alio consequuntur, non antecedunt; sed maxime differunt in eo, quod in prædestinatione id quod præcedit gloriam, scilicet ipsum meritum, est ex gratia Dei, et ad ipsum meritum Dei gratia præexigitur; et sic non solum præscientia meritorum, sed et causatio requiritur ex parte Dei. At vero ad iudicium, et damnationem, id quod præcedit non est ex operatione Dei, sed ex permissione, et solum præscitur a Deo, non causatur. Et sic præcedit aliquid ex parte nostra ad ef-

fectum ultimum reprobationis, nihil autem nostrum, sed totum ex Deo est quod præcedit omnes prædestinationis effectus, etiam glorificationem. Et sic Concilium Valentinum cum dixisset quod in electione salvandorum misericordia Dei præcedit meritum bonum, signanter non dixit quod in rejectione, seu non electione periturorum præcedit meritum malum, sed dixit quod in damnatione periturorum meritum malum præcedit iudicium justum Dei, quasi contraponens effectum reprobationis, qui in punitione, et damnatione exercetur, ipsi electioni bonorum.

XLIII. Unde est generalis solutio D. Thomæ ad similes auctoritates in quæstione VI de verit. art. II ad X, solvens auctoritatem Augustini quod: « Voluntas Dei qua unum rejicit, alterum eligit, non potest esse injusta, quia venit de occultissimis meritis, » dicit quod: « Si est sustinenda, referendum est id ad effectum reprobationis vel prædestinationis, quod habet aliquam causam meritoriam vel dispositivam. » Et sic ubicumque invenitur scriptum quod merita vel præscientia demeritorum præcedit reprobationem, intelligendum est secundum D. Thomam de reprobatione pro effectu requirente causam demeritoriam, qualis est ipsa damnatio, non de reprobatione pro ipsa prima Dei aversione ab eo qui reprobatur. Et addit D. Thomas solutione ad XI, quod: « Præscientia abusus gratiæ non fuit causa reprobationis in Juda, nisi forte ex parte effectus, videlicet quoad effectum damnationis. » Et eodem modo loquitur super c. IX ad Rom. lect. II, quod contra nos adducitur in argumento: loquitur enim de causa reprobationis quoad effectum damnationis, quia expresse loquitur de reprobatione ex parte pœnæ, et hæc sine dubio habet cau-

sam ex parte nostra. Ad illum autem locum qui adducitur ex eadem quæstione VI de veritate, art. II ad IX, quod D. Thomas assignat rationem reprobationis in hominibus peccatum originale, dico quod oportet legere totum locum D. Thomæ, dicit enim sic: « Ratio autem reprobationis est in hominibus peccatum originale, ut dicit Augustinus vel in futuro per hoc ipsum quod est non habere debitum ad hoc quod eis gratia conferatur; rationabiliter autem possum velle denegare aliquid alicui, quod sibi non debetur. » Ubi s. doctor loquitur disjunctive, quod peccatum originale est ratio reprobationis, vel non habere debitum ut sibi gratia conferatur, quia in his quibus peccatum originale non remittitur, potest esse causa reprobationis, in aliis autem sufficit pro causa non esse sibi debitum illud beneficium. Videatur ibi solutio ad VIII. Quando vero denegationem auxilii ad credendum, vel infidelitatem negativam docet esse pœnam originalis peccati, jam supra diximus quod loquitur de his, quibus peccatum originale non est remissum, in quibus ipsum peccatum originale potest esse ratio, et causa reprobationis, seu primi effectus reprobationis.

XLIV. Ad confirmationem respondetur voluntatem illam Dei de salvandis omnibus esse voluntatem inefficacem, et antecedentem, et ex primaria intentione Dei, ut inquit Damascenus, quia solum habet pro motivo ipsam Dei bonitatem secundum se, et finem ad quem dirigit creaturam intellectualem ut intellectualis est. Cui non contrariatur voluntas consequens, et efficax et de secunda intentione Dei, quæ attendit ad alias circumstantias creaturæ, et illis suppositis decernit Deus non admittere aliquos ad gloriam, vel ad gratiam, aut ad ejus

perseverantiam. Ad hoc autem non est necesse præsupponere culpam, et peccatum prævisum, quia non solum dicuntur de secundaria intentione Dei esse ea quæ supponunt culpam ex parte nostri (licet in his ponat exemplum Damasceni, quia ibi clarius elucescit id quod Deus vult ex secundaria intentione) sed etiam ea quæ aliquid supponunt ex parte creaturæ, licet non sit culpa, dummodo non sit ipsa sola bonitas Dei, aut directio ad eam, ut ad finem. Creatura enim rationalis, et habet dirigi ad finem suum, qui est participatio Dei, et bonitatis ejus, et hæc est prima intentio de creatura, et secundum hanc considerationem vult Deus omnibus se præbere in finem, quod est velle omnes salvos fieri: et secundo habet considerari in ea defectibilitas, contingentia et ratio indebiti, quia ei non est debita gratia: quod totum convenit illi secundario, quia convenit ei ut est ex nihilo, et deinde etiam convenit ei culpa, et peccatum de facto. Deus ergo ut ejiciat creaturam, seu non eligat ad gloriam, vel ad gratiam, non est necesse quod consideret in ea peccatum de facto (licet id sit necesse ut puniat) sed sufficit quod respiciat defectibilitatem, contingentiam, et ipsam rationem indebiti, ut dicit D. Thomas loco supra citato ex quæstione VI de verit. art. II ad IX, quoniam contingentia, et defectibili creaturæ non est debitum quod nunquam permittatur deficere, sed connaturalius est ut aliqui defectus permittantur, etiam æterni, ubi etiam ostendatur divina justitia. Et ideo hæc voluntas, quæ est consequens, et de secundaria intentione Dei, etiam ante prævisionem peccati, non contrariatur primæ, quæ est antecedens, et inefficax, et de primaria intentione tantum.

XLV. Ad illam vero consequentiam ex D. Augustino respondetur optime